

7. Omnes, qui invenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quod peccaverunt Domino decore iustitiæ, & expectationi patrum eorum Domino.

8. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote quasi hædi ante gregem.

9. Quoniam ecce ego fuscito, & adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabunt adversus eam, & inde capietur: fagitta eius quasi viri fortis intersectoris, non revertetur vacua.

10. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus.

11. Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hereditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri.

12. Confusa est mater vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in Gentibus, deserta, in via, & arens.

13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit super universis plagis eius.

14. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis iaculis: quia Domino peccavit.

15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea, sicut fecit, facite ei.

16. Disperdit fatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: à facie gladij columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient.

17. Grex dispersus Israël, leones eiecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.

18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram eius, sicut visitavi regem Assur:

19. & reducam Israël ad habitaculum suum: & pascetur Carmelum, & Bafan, & in monte Ephraim, & Galaad saturabitur anima eius.

20. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus: quæretur iniquitas Israël, & non erit: & peccatum Iuda, & non invenietur.

nietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero.

21. Super terram dominantium ascende, & super habitatores eius visita, dissipa, & interfice quæ post eos sunt, ait Dominus: & fac iuxta omnia quæ præcepi tibi.

22. Vox belli in terra, & contritio magna.

23. Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ? quomodo verfa est in desertum Babylon in Gentibus?

24. Illaqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es & apprehensa: quoniam Dominum provocasti.

25. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum.

26. Venite ad eam ab extremis finibus, aperite ut exeat qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec sit quidquam reliquum.

27. Dissipate universos fortes eius, descendant in occisionem: vix eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum.

28. Vox fugientium, & eorum, qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuncient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi eius.

29. Annunciate in Babylonem plurimis omnibus, qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta est, adversum sanctum Israël.

30. Idcirco cadent iuvenes eius in plateis eius: & omnes viri bellatores eius conticescent in die illa, ait Dominus.

31. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.

32. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui fuscit eum: & succendam ignem in urbis eius, & devorabit omnia in circuitu eius.

33. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israël, & filii Iuda simul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos.

34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & commoveat habitatores Babylonis.

35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, &

& ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius.

36. Gladius ad divinos eius, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt.

37. Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod est in medio eius: & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros eius, qui diripientur.

38. Siccitas super aquas eius erit, & arefcent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur.

39. propterea habitabunt dracones cum faunis ficiariis: & habitabunt in ea struthiones: & non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec struetur usque ad generationem, & generationem.

40. \* Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrhæam, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.

41. Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, & reges multi consurgent à finibus terræ.

42. Arcum & scutum apprehendent: crudeles sunt & immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit, & super equos ascendent: sicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon.

43. Audivit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.

44. \* Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? \* & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?

45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem: & cogitationes eius, quas cogitavit super terram Chaldæorum: Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum.

46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter Gentes auditus est.

**CAPUT LI.**

*Mala à regibus Medorum Babyloni imminentia prædicantur.*

Eodem ann. 3409.

**H**ÆC dicit Dominus: Ecce ego fuscitabo super Babylonem & super habitatores eius, qui cor suum le-

vaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.

2. Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam & demolientur terram eius: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis eius.

3. Non tendat qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus, nolite parcere iuvenibus eius, interficite omnem militiam eius.

4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, & vulnerati in regionibus eius.

5. Quoniam non fuit viduatus Israël & Iuda à Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto à sancto Israël.

6. Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem eius: quoniam tempus ultionis est à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.

7. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt.

8. \* Subito cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam, tollite refinam ad dolorem eius, si forte sanetur.

9. Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad caelos iudicium eius, & elevatum est usque ad nubes.

10. Protulit Dominus iustitias nostras: venite, & narremus in Sion opus Domini Dei nostri.

11. Acuite sagittas, implete phætras: fuscitavit Dominus spiritum regum Medorum: & contra Babylonem mens eius est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.

12. Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam: levate custodes, præparate insidias: quia cogitavit Dominus, & fecit quæcumque locutus est contra habitatores Babylonis.

13. Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris: venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ.

14. \* Iuravit Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te hominibus quasi bruchis, & super te celeuma cantabitur.

15. \* Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, & prudentiâ suâ extendit caelos.

16. Dante eo vocem, multiplicentur aquæ

\* Isai. 21.  
9.  
Apo. 14.  
8.

\* Amos 6.  
8.

\* Gen. 1.1.

aquæ in cælo: qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit: & produxit ventum de thesauris suis.

17. Stultus factus est omnis homo à scientia: confusus est omnis conflator in sculptili. quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis.

18. Vana sunt opera, & risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt.

19. Non sicut hæc pars Iacob: quia qui fecit omnia ipse est, & Israël sceptrum hereditatis eius: Dominus exercituum nomen eius.

20. Collidam tu mihi vasa belli, & ego collidam in te Gentes, & disperdam in te regna:

21. & collidam in te equum, & equitem eius: & collidam in te currum, & ascensorem eius:

22. & collidam in te virum & mulierem: & collidam in te senem & puerum: & collidam in te juvenem & virginem:

23. & collidam in te pastorem & gregem eius: & collidam in te agricolam & iugales eius: & collidam in te duces & magistratus.

24. Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus.

25. Ecce ego ad te mons pèstifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis.

26. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus.

27. Levate signum in terra: clangite buccinâ in Gentibus, sanctificate super eam Gentes: annunciate contra illam regibus Ararat, Menni, & Ascenez: numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum.

28. Sanctificate contra eam Gentes, reges Mediæ, duces eius, & universos magistratus eius, cunctamque terram potestatis eius.

29. Et commovebitur terra, & conturbabitur: quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini ut ponat Terram Babylonis desertam & inhabitabilem.

30. Cessaverunt fortes Babylonis à prælio, habitaverunt in præfidiis: devoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres: incensâ sunt tabernacula

eius, contriti sunt vectes eius.

31. Currens obviam currenti veniet: \* & nuncius obvius nunciandi: ut annunciet regi Babylonis quia capta est civitas eius à summo usque ad summum:

32. & vada præoccupata sunt, \* & paludes incensæ sunt igni, & viri bellatores conturbati sunt.

33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Filia Babylonis quasi area, tempus triturae eius: adhuc modicum, & veniet tempus mersionis eius.

34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane, absorbit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, & eiecit me.

35. Iniquitas adversum me, & caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion: & sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Ierusalem.

36. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego iudicabo causam tuam, & ulciscar ultionem tuam, & desertum faciam mare \* eius, & siccabo venam eius.

37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eò quòd non sit habitator.

38. Simul ut leones rugient, excutient comas véluti catuli leonum.

39. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, \* ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.

40. Deducam eos quasi agnos ad victimam, & quasi arietes cum hædis.

41. Quomodo capta est Hefach, & comprehensa est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter Gentes?

42. Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operata est.

43. Factæ sunt civitates eius in stuporem: terra inhabitabilis & deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.

44. Et visitabo super Bel in Babylone, & ejciam quod absorberat de ore eius, & non confluent ad eum ultra Gentes, siquidem & murus Babylonis corruet.

45. Egredimini de medio eius populus meus: ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.

46. Et ne fortè mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra:

\* Tanta enim erat urbis magnitudo, ut cum capta essent extremitates, ii qui mediam habitabant, id non animadvertent, cum die festo agitantur convivia. Infr. 39. Herod. l. 1. \* V. Supr. 50. 38.

\* V. Supr. 50. 38.

\* Infr. 57.

\* Cyrus enim anno quem nos putamus esse mundi 3464. Assyriis bellum intulit, rumore eâ de re ad Babylonios perveniente: Sed cum ad Hydrem amnem, qui in Tygrin influit, pervenisset, ægrè ferens quòd equorum candidorum unus, qui illis sacri erant, vorticibus eius esset absorptus, expeditione Babyl. intermissâ fluvium in 360. alveos diduxit, ut vel à mulieribus transiri posset, ne genua quidem tingentibus. Atque in eo opere perficiendo tota æstas est absumpta, sequente

47. Propterea ecce dies veniunt, & visitabo super sculptilia Babylonis: & omnis terra eius confundetur, & universi infecti eius cadent in medio eius.

48. Et laudabunt super Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus.

49. Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israël: sic de Babylone cadent occisi in universa terra.

50. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum.

51. Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras: quia venerunt alieni super sanctificationem domûs Domini.

52. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & visitabo super sculptilia eius, & in omni terra eius mugiet vulneratus.

53. Si ascenderit Babylon in cælum, & firmaverit in excelsis robur suum: à me venient vastatores eius, ait Dominus.

54. Vox clamoris de Babylone, & contritio magna de Terra Chaldæorum:

55. quoniam vastavit Dominus Babylonem, & perdidit ex ea vocem magnam: & sonabunt fluctus eorum quasi aqua multæ: dedit sonitum vox eorum:

56. Quia venit super eam, id est super Babylonem prædo, & apprehensi sunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.

57. Et inebriabo principes eius, & sapientes eius, & duces eius, & magistratus eius, & fortes eius: & dormient somnum sempiternum, & non expergiscuntur, ait rex, Dominus exercituum nomen eius.

58. Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, & portæ eius excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt.

59. Verbum, quod præcepit Ieremias propheta, Saraïæ filio Nerïæ filij Maasïæ cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto \* regni eius: Saraïas autem erat princeps prophetiæ.

60. Et scripsit Ieremias omne malum,

quod venturum erat super Babylonem in libro uno: † omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem.

61. Et dixit Ieremias ad Saraïam: Cùm veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc,

62. dices: Domine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, & ut sit perpetua solitudo.

63. Cùmque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & projecies illum in medium Euphraten:

64. & dices: Sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur. Hucusque verba Ieremiæ.

prehendente. Se enim explicat mox verbis subsequenter: ut malè quidam hoc de libro Baruch intelligant.

CAPUT LII.

Præcedentium repetitio, nempe quòd Ierusalem à Nabuchodonosor obsessa post biennium capitur, & Sedecias rex Iuda fugiens reducit: filisque eius coram ipso trucidatis unâ cum principibus Iuda, exoculatus ac vincus ducitur in Babylonem: & incenso templo & palatio ceterisque domibus, transferuntur omnes in Babylonem præter paucos vittores & agricolas: similiter & vasa templi, inter quæ describuntur duæ aræ columnæ: & numerus Iudæorum in Babylonem diversis temporibus translatorum, ubi rex Iokim post 37. annos de carcere eductus exaltatur.

1. Filius viginti & unius anni erat Sedecias cùm regnare cœpisset: & undecim annis regnavit in Ierusalem, & nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ de Lobna.

2. Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Iokim.

3. Quoniam furor Domini erat in Ierusalem & in Iuda usquequo projiceret eos à facie sua: & recessit Sedecias à rege Babylonis.

4. \* Factum est autem in anno nono \* 4. Reg. regni eius, in mense decimo, decimâ mensis: venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse, & omnis exercitus eius adversus Ierusalem, & obsederunt eam, & ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu.

apparet Babylonis ruinam præditam, ac scripto & simul conspicuâ quâdam actione consignatam, totis sex annis antequam Babyloni Ierusalem exciderent.

† Verba huius ac præcedentis capituli com-

Anno M. 344. Ant. Chr. 590. 4. Reg. 24. 18. 2. Par. 36. 11.

4. Reg. 25. 1. 5. 1. 39. 1.